

II 37



J. H.
118
17



33
118
17

II o
37

Septimius Geographus

**AD
VALEDICTIONES
DISCIPULORUM NOSTRORUM,
INFRA NOMINATORUM,**

DIE CRISTINO,
**POST OCTAVAM MATUTINAM,
IN
AUDITORIO MAJORI,
MORE SOLENNI
HABENDAS,**

**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORESQUE STUDIOSE
JUVENTUTIS**

**PERAMANTER
INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold, R.**

CYGNEA,
TYPIS JOH. DAV. FRIDERICI





Septenarium sacrum, è sacris literis percipiendum, multi observarunt. Nec, qui profanum è documentis rerum eruerent, defuere. At qui Geographicum studiosius collectum oculis exponeret, ego quidem arbitror hætenus extitisse neminem. Illius quidem consideratio quantum utilitatis habeat in divinis rebus, mysticis potissimum, aperiendis, manifestum est. Istius etiam tractationi non levem impendendam operam, nonnulli propterea existimaverunt, quod secretas quasdam fuisse rationes putarent, quibus arcana rerum publicarum quoque, & mutationes temporum sæpius indicarentur. Hic autem in terrarum descriptionibus, subinde legentibus aut videntibus observatus, ad ejusmodi quidem abstrusa & recondita non tendit; nihilominus curiosam discantis cupiditatem celerius inflammare, animumque percipientis jucundissima valet voluptate perfundere. Quid prohibet igitur, quo minus jucunditati intentus Geographicæ, septenarios quosdam terrarum, inculco quantumvis atque illaborato dicendi genere annotatos collectosque in chartam præsentem conjiciam? Sunt autem non unius generis, quæ numerum hunc, ad tellurem ejusque partes respectu habito, expli- cant. Quædam enim magis ad historiam civilem & sacram; quædam magis ad res naturales; quædam ad artefacta magis perminent.

Primi generis septenarios exempla illustrabunt sequentia. Apocalypsis Johannea septem stellas, i. e. Angelos, seu Episcopos, ut Lutherus Glossam ordinariam & Liram secutus, interpretatur; item septem candelabra aurea, h. e. Ecclesias Asiæ nominat, Ephefinam, Smyrnæam, Pergamenam, Thyatirensen, Sardensem, Philadelphensem, Laodiceam. Magna olim fama septem Græciæ Sapientum in orbem terrarum exiit, quorum singuli suas quisque patrias illuminarunt, Milerum, Athenas, Lacedæmonem, Mitylenem, Prienum, Lindum, Corinthusque. Cui enim inter literatos non dictus Thales Milesius, Solon Atheniensis, Chilo Lacedæmonius, Pittæus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleobulus Lindius, denique Pericles Corinthius? Cumque non fuerit creditum, Homerum esse mortalem, ob ingenii magnitudinem, septem maxime urbes pro eo sibi asserendo certarunt, teste Allatio de patria Homeri, & trito illo versiculo: Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ. Hæ enim potissimum clarissimum Poætæ ingenium sibi vendicatum ivere. Septem provincias à veteribus ita constitutas, Belgium fœderatum æterno fœdere colligavit, Hollandiam, Seelandiam, Ultrajectinam Provinciam, Geldriam, Transsylvaniam, Dominium Gröningense, Frisiam Occidentalem. Transylvania à septem Ducibus Hungarorum appellata est, qui sedem illic figentes, septem quoque juxta numerum personarum, munimenta extruxerunt. Norum est, quomodo Diabolus aliquando sibi Professoris partes sumserit, in Academia Salamantica Hispanorum, septem duntaxat, nec plures, nec pauciores, edoctrurus discipulos, eam quidem mercedem laboris pactus, ut exacto septennio septimus quisque sui juris esset. Septem turres cum cives Lovanienses exædificare conarentur, conatu tamen, deficiente pecunia, prorsus irritò: quæ sola hodieque restat turris, inde sumtus deperditus vulgo dicitur. Inter septem Judices Geneveses in dicasterio publico depictos, medius tantum, seu quartus, manu gaudet, reliquorum abscissis manibus; ut meminissent in tribunali sedentes, non esse captandum lucrum violata justitia, non capiendam manu injusta pecuniam. Intra totidem annos Hungari peregrinationes sacras suscipiunt in Germaniam, veneraturi tres Reges ibi celebratos Colonia Agrippinæ, quam religiose solent petere. Horrendam filius male contumax apud Freybergenses & alios reliquit memoriam, quem pater propter inexpugnabilem malitiam diris devoverat, eo evenitu, ut miser septem per annos in domo paterna, quæ nostris adhuc temporibus ostenditur, steterit lapis super lapidem; vix tandem precibus publicis

piorum

piorum admissus ad sessionem, qua figura etiam miseram postremo exhalavit animam.

Jam ad secundi generis exempla pedem moveo, in quibus historiam naturalem imprimis spectari dixeram. Hic septem Nili ostia pagina veterum deprædicant, Canopicum (alii Heracleoticum) Bolbiticum, Sebennyiticum, Pachmiticum, Mendesium, Taniticum, (Saiticum Herodoto) Pelusiacum; quæ nomina ab ipsis oppidis deducuntur. Unde illa Poëtarum: Septem geminus Nilus, septemflua flumina Nili, Septemplicis ostia Nili, digestus in septem cornua Nilus. Augent quidam ostiorum Niliacorum numerum; quidam contra imminuunt. Sed nolumus autoritatem sacrarum literarum, septem flumina Nili apud Esaiam narrantem, deserere. Sententiarum divortia Wendelinus conciliavit, in Admirandis Nili, qui evolvi hac de remeretur. Eadem numero ostia in Danubio exploratores terrarum invenere, eo loco, ubi princeps ille fluviorum Germanicorum in mare devolvitur: quocirca jam ab antiquo Strabone Heptastomos, seu septemplicis oris nuncupatur. Nomina ostiorum tali serie recensentur: Peuce, Naracutoma, Calostoma, Pseudothoma, Boreostoma, Spiroestoma. Euripus, maris pars Aeolidem inter, Bœotia portum atque Insulam Eubœam, septies de die ac nocte reciprocatur; cujus æstus reciproci causas cum Aristoteles rimari satis & explorare haud valeret, in eam abyssum desperabundus se præcipitem dedisse fertur. In agro Vindocinensi Gallorum stagnum visitur, septem annis continuis scaturiens; idem tot annorum spatio deinceps arefcens deprehenditur. Tunc aquarum iste defectus immanes abyssos, immania saxa aperit, in quibus ab incolis sagaciter annorum insequitamentum vel ubertas vel sterilitas prænoscitur. Eadem Gallia in tractu Delphinatensi septem numerat mirabilia; Turrin absque veneno ad Gratianopolim, cujus rudera apparent in rupe, nullum animal venenosum huc delatum vivit diu, sed statim extinguitur; Montem figura pyramidali spectabilem, qui apicem non sursum, sed, tanquam cælo delapsus esset, deorsum porrigit; Fontem flammantem seu flammam eructantem inter dictum montem ac turrin; Speluncam Sassenagiensem cum duobus foraminibus, semper siccam, excepto die trium Regum, in quo aqua, incertum per quas rupis partes, emanat postridie statim exsiccata, qua occasione habitatores ejus regionis proventus vini & frumentorum divinant; Gemmas montium Sassenagienfium minutas illas quidem, sed vim purgatricem oculorum & conservatricem habentes; Mantua Brigantinum, quod toto mense Augusti in arboribus, quas vocant, alaudarum offenditur, primum roris formam præferens, deinde in speciem gummi densatur, redolens sacchari nondum liquefacti saporem; Antrum St. Mariæ Virginis Balmenfem, in quo Mariæ imago ad vivum expressa conspicitur. Sita est Constantinopolis, perinde ut Roma vetus (nam nova & montium fecit accessiones) septem in montibus, & Ulyssippo totidem collibus superba, regiam sedem in uno horum ostentat. Dysenteriam in littoribus Anglicis septenario quovis annorum grassantem, tertio etiam vehementiori impetu recurrentem, jam pridem è scriptoribus intelleximus. Non procul ab Hannovera visu digna sunt cryptæ septem, ubi rusticum ferunt, maledicentem sibi ipsi, à terra devoratum, Antiquissima Bructerorum patria, qua Colonia Agrippina nunc floret, in septem montibus totidem arces continet, Drachenfelsensem, Dandunbergenfem, Lewenbergenfem, Malburgenfem, Planckenbergenfem, Strombergenfem & Wolckenbergenfem. Norimberga amplissima extra se septem oppida suæ ditioni subjacentia agnoscit. Hydram septem capitum Lerna quondam aluit, Hydra Lernæa inde vocitata. Gallipoli, urbe Romania, in horto cœnobii vitem colunt, septies per annum maturas uvas ferentem. Septimo quoque anno gallina cum gallo suo duo ova & duos pullos excludit in oppido Hispanico, quod vocatur

vocatur St. Dominico von Damm, idque in æde sacra ad aram accidit, apud quam aves ambæ sustentantur; ambæ post exclusos pullos subita morte præripiuntur.

Ultimum erat, septenarios quosdam artificiorum operumque humanorum exponere. Tralaticium est, prisca æva septem miracula artificiosa memorasse, quæ apud Cassiodorum in Variis suis descripta leguntur, Dianæ Ephesinæ templum, Regis Mausoli monumentum pulcherrimum, Colossum Rhodium, i. e. folis signum æneum, Jovis Olympici simulacrum, à Phidia elegantissime formatum, Cyri Medorum Regis domum, quam Memnon arte prodiga, illigatis auro lapidibus fabricavit, Babylonios muros, Semiramidis opus, & Pyramides Aegyptiorum. Alii turrin Phariam, hortos Babylonis pensiles, Labyrinthos, cornutum Ammonem, Apollinem Delium, Alexandri M. thronum, obfervante Radero ad Martialem, adjiciunt; Scoriacum Hispanorum nostra memoria, & Gallorum miracula ut sicco pede transeam. At nos communem opinionem jam tenemus. Septena videntur undatim confluisse in nobilissimas duas urbes Germaniæ superioris & inferioris, Bruxellas & Rostochium. Illic septuaginta turres, septem plateas spaciosas, septem grandes domos in foro, septem Scabinos, septem ædes paroehiales, septem portas, septem fontes publicos, septem stemmata nobiliorum familiarum, magistratum gerentium; hic septem portas, totidem pontes, totidem regiones intra urbis mœnia, totidem januas templi primarii, totidem turres curiæ, totidem campanas horologiorum, totidem tilias in rosoto nominant atque præsentibus ostendunt. Ajunt, Julium Cæsarem septem urbes condidisse in Germania, & Planetas singulos unicuique dedisse, e. g. Magdeburgo Venerem, Luneburgo Lunam, Soltquellæ Solem, Martisburgo Martem, Hamburgo Jovem; ut sic planetarum & nomen & numerum referrent; quod aliis discutiendum relinquo. Nostro seculo Magdeburgo septem domibus Dei, ad sacra Evangelicorum colenda, est magnificentum. De Jena circumferuntur versus: Ara, caput, draco, mons, pons & vulpecula turris, Weigeliana domus, septem miracula Jenæ. Zittaviæ septimo die Januarii depicta mors cum titione, & post eam Angelus cum ramo oleagineo representatur in curia, ad incendium istius urbis, quod in anno 1608. inciderat, significandum. Ungaria montana oppida, eaque libera, novit septem, nempe Chremnitium, Schemnitium, Neusolium, Königsbergam, Bochondantium, Libete & Tilvo. Sed non omittantur Thebæ, urbs Bœotici (novem Thebas affert Stephanus de urbibus) Heptapylos dictæ, ideo quod septem portas haberent: Quemadmodum Hercule & Libero Patre, & inter Duces Pausania & Pelopida, inter Poëtas Pindaro nobilitatæ sunt. Alludit ad hæc Thebas, de raritate bonorum querelas movens Juvenalis: Rari quippe boni, inquit, vix sunt numero totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili. Alludit & ad septem sapientes Græciæ, de quibus supra. Hanc igitur Poëtæ Saryrici querelam quodam commentario illustrarunt valedicentes duo discipuli nostri,

I. CHRISTIANUS Gottlob FERBERUS, *Wierchergenſis*.

II. CHRISTOPHORUS WOLFFIUS, *Lungwizenſis*.

Prior de raritate bonorum, posterior de septem sapientibus & horum raritatis præfati, Cygnæ nostræ vale ultimum dicturi sunt. Discessuros pia acclamatione prosequetur

AUGUSTUS Gottthilff HILLIGERUS, *Dresdenſis*. Deus, ingeniorum largitor promotorque, præsto sit juvenibus in via, in studiis Academicis, in munere aliquando administrando, & totius vitæ curriculo! P. P. Cygnæ, d. 20. Maji Anno Christi 1715.

Pon. No 37, FK

ULB Halle 3
006 549 802





Septuaginta Geographica

AD VALEDICTIONES DISCIPULORUM NOSTRORUM, INFRA NOMINATORUM,

DIE CRASTINO,
POST OCTAVAM MATUTINAM,
IN
AUDITORIO MAJORI,
MORE SOLENNI
HABENDAS,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORESque STUDIOSE
JUVENTUTIS

PERAMANTER
INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold, R.

CYGNEÆ,
TYPIS JOH. DAV. FRIDERICI

